Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26515
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Cur ergo concupiscentia carnis que utique
culpabilis atque uiciosa est. nichilque aliud
quam desiderium peccati quod idem apostolus precipit
ne regnet peccatum in nostro mortali corpore.
Ubi satis ostendit esse tamen in nostro mortali
corpore. quod permittendum non sit ut regnet.
Cur ergo ista concupiscentia non mutata est ea
uoluntate. Quam uoluntatem euidenter satis
expressit apostolus dicens. ut non ea que uultis fa
ciatis. si facile potest uoluntas uoluntate
mutari. Nec sane isto modo natura siue anime
seu corporis quam deus creauit que tota bona est
accusamus. si eam dicimus propria uoluntate ui
ciatam sine dei gratia non posse sanari. Iterum
ait querendum est. Si non potest homo sine peccato esse.
cuius culpa est. ipsius ne hominis. an cuiuslibet
alterius. Si ipsius hominis. quomodo culpa hominis
est. si hoc non est quod esse non potest. Respondemus.
ideo esse hominis culpam quod non est sine peccato.
quia sola hominis uoluntate factum est. ut ad
istam necessitatem ueniret. quam sola uo
luntas hominis superare non potest. Item ait que
rendum est. Si natura hominis bona est quod nullus
negare nisi marcion aut manicheus au